



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XIII. Obiectionibus contra discursum capitis superioris satisfit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

Tertio.

non impediatur, quod certe negari non potest? Unde si esset etiam indebitum secundum naturæ ordinem, sine dubio esset gratia, ut opponitur debito naturali. Denique homo ad generandum supponitur omnino perfectus in suis potentijs, & nihilominus potest monstruose generare, vel aliter operari propter impedimenta occurrentia; ergo ablatio illorum impedimentorum ex providentia Dei est gratia respectu illius, non minus, quam sit respectu hominis cogitatio bona sine impedimentis bonæ operationis. Et quod de actione generandi dicimus, potest etiam considerari in actibus immanentibus, vel quasi immanentibus brutorum, ut in motu perfecto sine claudicatione, vel visione, aut æstimatione sine deceptione, & similibus.

17.
Responsio

Alia responsio est, distinguendo inter gratias phylicas, seu naturales, & morales, & concedendo gratiam physicam posse esse communem brutis, non vero moralem. Sicut de homine etiam dicunt, ad quamcunque veram cogitationem speculativam physicæ, vel metaphysicæ, indigere gratia physica, non vero naturali, quæ ad solos morales actus requiritur. Sed non est contendendum de vocibus ad libitum excogitatis. Non est enim dubium, quin possit Deus physica beneficia, ultra naturæ debitum, quibus voluerit, conferre, & tunc quæstio erit de nomine, an illa omnia sint vocanda gratiæ. Nos vero dicimus, gratiam in usu sanctorum Patrum nunquam hoc modo sumi. Propterea enim dixit Augustinus solam intellectualem naturam esse gratiæ capacem libro quarto, contra Iulianum capite tertio. Item dicimus, Deum ordinaria providentia sua non conferre brutis beneficia non debita secundum naturalem cursum causarum uniuersi, & ideo non posse talia beneficia gratiam vocari. Quod si interdum Deus aliquid circa res naturales ultra cursum naturæ operatur, id semper est in ordine ad bonum hominum, & respectu illorum est gratia non tantum physica, sed etiam moralis, quia ex parte Dei ad bonos eorum mores ordinatur. Naturales vero effectus, & actiones eorum, quæ nullo modo excedunt ordinarium cursum naturæ, licet sint Dei beneficia, non sunt gratiæ, neque physicæ, neque morales, quia nullo modo excedunt naturale debitum, & sicut in alijs rebus hoc verum est, ita etiam in homine in pura natura spectato, siue cogitatio, vel actio ad scientiam puram pertineat, siue ad honestos mores naturales, rationes enim factæ uniuersales sunt.

Impugnatur.

CAPVT XIV.

Obiectionibus contra discursum capitis superioris satisfut.

1.
P. Valg. disp.
189-611 nu.
128.

PRÆCIPVA obiectio sumitur ex fundamento contrariæ sententiæ, quod ita fere exponitur. Qui negat cogitationem congruam esse gratiam, consequenter tollit diuinæ providentiæ attribui concursum illum causarum secundarum, ex quo solet provenire cogitatio ita congrua, ut nullum impedimentum illi occurrat, quod effectum bonæ voluntatis valeat impedire. Consequens est absurdum, & in atheismum inclinat, ergo. Sequela probatur. Nam si hæc motio, & applicatio causarum, & remotio impedimentorum non sit sine Deo, omnia providente, ac disponente, quomodo negari potest, congruam cogitationem esse à Deo specialiter provisam, & ultra omne debitum creationis, & conservationis? Quia posset Deus, salua rerum vocatione, & conservatione aliter res disponere, ut ex eis congrua cogitatio non proveniret: nunc autem ex voluntate efficaci dandi talem cogitationem con-

Obiectio.

gruam, & bonam operationem ad illam consequentem, talem rerum, & causarum ordinem disposuit, ergo vel non potest negari, hunc effectum esse ex gratia, vel negandum est, esse ex diuina providentia.

Confirmatur primo, quia si cogitatio congrua esset debita, omnibus daretur; ita enim nos de vocatione congrua argumentamur in libro secundo, de Prædestinat. capite secundo, numero quinto, non datur autem omnibus, ut constat; ergo non est debita; ergo est gratia saltem ut significat favorem ultra beneficium creationis. Confirmatur secundo, quia alias etiam posset homo sine gratia servare totam legem naturæ, & Deum super omnia diligere, & quamcunque grauissimam tentationem, quia ad hæc omnia sufficit cogitatio congrua. Denique confirmatur, quia eodem modo inferri posset, in ordine actuum supernaturalium vocationem congruam non esse maiorem gratiam, quam incongruam, nec gratiam efficacem, quam sufficientem, nec donum perseverantiæ, quam auxilium, quod datur posse perseverare, quæ omnia sunt absurda, ut constat, & contra nostram sententiam. Sequela vero patet, quia omnia illa proveniunt ex congruitate vocationis, quæ congruitas non addit etiam in ordine supernaturali speciale donum physicum, nam in re congruitas etiam in illo modo consummatur per bonum usum liberi arbitrii cum adiutorio eiusdem gratiæ, qui bonus usus quasi naturaliter sequitur in aliquibus ex prioribus gratijs.

Prima obiectio nihil nos mouet, quia contra nos non procedit, qui fatemur, tunc vocationem esse peculiare Dei beneficium, quamvis propria gratia non sit. Et licet posset aliquo modo vrgere illos, qui in hoc genere providentiæ non agnoscunt speciale Dei beneficium, nihilominus illis etiam immerito imponitur, vel suspicio atheismi, aut quod tam male sentiant de providentia Dei, ut illa reprehensione sint digni. Nam illi, aut in eo fundantur, quod negant habere Deum ante suam providentiam præscientiam futurorum contingentium conditionatorum, aut in hoc, quod Deus non præhincit speciali, & efficaci modo actum bonum moralem in particulari, sicut nec malum, sed solum intendit bonum, quantum est ex se, malum autem solum permittit, & postquam prævidet absolute vnum vel alterum, in bono complacet, & non in malo. At vero prius fundamentum negans scientiam conditionatam, licet falsum sit, à multis Theologis defenditur, qui non negant, providentiam diuinam circa omnes actus in particulari, licet illam non satis perfectam, & diuinæ sapientiæ consentaneam explicare possint. Secundum item fundamentum à multis etiam Theologis defenditur, non solum in actibus ordinis naturalis, sed etiam in supernaturalibus, & licet in istis sententia illa, non solum non possit probari, verum etiam nec tolerari, ut infra dicam, in præfenti non habet tantam absurditatem. Quia non est improbabile, Deum non præfinire omnes, & singulos actus morales in particulari, & in se ipsis, sed solum in causis sufficientibus. Et consequenter non aliter velle cogitationem, futuram alicui congruam ex libero bono usu eius, quam aliam de se omnino æqualem, futuram in alio tantum sufficientem ex libera repugnantia eius. Quia utramque vult Deus ex antecedenti tantum voluntate, & ut uterque homo bonum operetur, & ex voluntate dandi utrique talem cogitationem propter illum finem, & prævidendo in altero congruitatem, & acceptando illam, & in altero repugnantiam, & permittendo illam. Quam differentiam solum, non existimant hi authores sufficere ad inæqualitatem beneficii, cum per Deum non flecterit, quin alterius cogitatio etiam esset congrua, quam ipse etiam æquale ibenter acceptaret. Et per hunc modum putant sufficienter saluari perfectam Dei providentiam.

Non vult
obiectio
negante
sententiam
conditionatam.
Nec etiam
vrgere negantes
omnes Dei
præfinitum
actum habere
manerem.

dentiam omnium, & singulorum actuum in particulari.

Neque contra hunc dicendi modum aliquid probat prædicta obiectio, tum quia fieri potest, vt cogitatio non congrua æque careat impedimentis antecedentibus vsum libertatis, & vt habeat concursum causarum æque fauorabilium, ac cogitatio congrua, ita non negatur, quin hæc omnia proueniant ex perfectissima prouidentia Dei. Congruitas autem, vel incongruitas, iuxta hæc sententiam, est ex prouidentia antecedente tantum, & quasi conditionata, vel permissiua, consequenter vero ex prouidentia approbatiua vnus, & non alterius, quod non censetur sufficere ad inæqualitatem beneficij. Contra hanc ergo opinionem solum vrgere potest ratio, quam nos in secunda assertionem fecimus, quæ supponit scientiam futurorum contingentium sub conditione, quæ supposita, non potest negari, quin preparatio cogitationis congruæ sit ex voluntate Dei absoluta & efficax, vnde sit vt sit speciale beneficium, procedens ex quadam maiori Dei beneuolentia, & ita hoc damus illi obiectioni, quæ aliud non probat.

Neque inde sequitur beneficium illud esse gratiam propriam, & distinctam à beneficio creationis, quia per naturalem connexionem sequitur ex creatione rerum, & ex illarum prima dispositione ad creationem vniuersalem pertinere, cum naturali cursu causarum secundarum sub generali influenza primæ causæ, vt ex discursu paulo antea facto manifestum est. Vnde etiam non negamus, potuisse Deum aliter res omnes, & causas vniuersi creare, conseruare, ac disponere, præuidendo, inde non euenturam cogitationem congruam talibus personis, sed incongruam. Inde vero solum sequitur, beneficium ipsum vniuersalis creationis, & dispositionis vniuersi fauorabiliorem nunc fuisse talibus hominibus, quam in alio casu fuisset, quod non concedimus. Negamus vero, inde sequi aliquod beneficium gratiæ non debitum creationi, nam ex suppositione illius generalis beneficij creationis, reliqua consequuntur, vt debita naturæ in indiuiduo, vt satis explicatum est. Neque est nouum, distinguere intra latitudinem beneficij creationis, vnum fauorabilius alio sine propria gratia, nam id satis clare docuit Augustinus dicto libr. 4. contra Iul. c. 3. & in alijs donis naturæ extra cogitationem congruam, non solum in hominibus, sed etiam in inferioribus rebus manifeste comprobatur.

Vnde ad primam confirmationem responderetur, in naturalibus donis non esse bonam illationem illam; *Ad 2. confir. in eod. n. 2.* Non omnibus datur talis perfectio, ergo est gratia, tanquam donum non debitum, ex vi creationis, & dispositionis vniuersi, vt patet clare in acumine ingenij, in longitudine vitæ, & similibus. Ratio vero est, quia licet talis cogitatio non sit absolute debita tali personæ, id est, nulla suppositione facta, tamē supposito solo vniuersali beneficio creationis (licet fauorabiliori) debita est talis cogitatio ex solo generali cursu causarum secundarum cum communi etiā concursu causæ primæ. Et hoc modo dixi libr. 2. de Prædestinat. c. 15. n. 17.

Beneficia creationis non esse necessarium, vt talis cogitatio congrua ex speciali auxilio Dei proueniat, quia generale sufficit, supposita prima rerum creatione, & generali causatum vniuersi dispositione, ac conseruatione. At vero in vocationibus gratiæ supernaturalis (de quibus in illo cap. 2. lib. 2. de Prædestinat. loquebamur) optima est illa consequutio; non omnibus datur vocatione congrua, ergo non est debita, sed est gratia specialis. Ratio differentia est, quia vocatio supernaturalis non prouenit ex causis naturalibus, sed ex speciali dispositione diuina supra totum naturæ ordinem. Imo etiam ordinarie non prouenit ex sola prouidentia generali in ipso ordine gratiæ, sed ex speciali, & noua gratia. Et licet interdum prouenire possit ex generali prouidentia gratiæ, & tunc possit dici debita ex suppositione talis generalis dispositionis causarum

Pars I.

gratiæ, nihilominus iam supponit specialem fauorem, non tantum creationis, sed gratiæ, & postea est debita tanquam gratia pro gratia, & non tam est debita ipsi recipienti, quam diuinæ prædestinationi, & ordinationi. Propter quod in illo ordine gratiæ etiam vocatio tantum sufficiens, licet omnibus detur, est vera gratia, quia licet sit aliquo modo debita ex generali prouidentia gratiæ, supposita dispositione causarum generalium ad ordinem gratiæ pertinentium: nihilominus datur tanquam gratia pro gratia, & ita non est debita recipienti, quia non est debita ex vi naturæ, etiam supposita priori ordinatione diuinæ, sed est debita priori gratiæ diuinæ præordinationis talis naturæ ad supernaturalem finem. Et per hoc etiam responsum est ad tertiam confirmationem, vt latius infra explicaturi sumus, tractando de gratia sufficienti, & efficaci. Vbi propter hanc causam dicemus, vocationem congruam semper esse maiorem gratiam in ratione beneficij gratuiti, non tamen semper esse maius auxilium, quia non semper dat maiores vires, sed interdum solum excedit, quia in meliori opportunitate datur.

Ad secundam confirmationem negatur sequela, nimirum, posse hominem sine gratia seruare diuinitatem legem: aut opera difficiliora ordinis naturæ sine vlla gratia facere. Et ad probationem, scilicet, quia hæc omnia fiunt per cogitationem congruam, respondeo, vel notabilem equiuocationem in hoc committeri: vel qui sic argumentatur non satis sentire de gratia Dei necessaria ad huiusmodi effectus arduos intra ordinem naturæ. Dupliciter enim intelligi potest, aliquam cogitationem moralem esse congruam, vno modo sine peculiari fauore Dei præuenientis actum liberum voluntatis, vel preparantis intellectum, vt congrue voluntatem moueat, sed relinquentis illum, vt secundum communem cursum causarum naturalium moueatur, & præuidens fore, vt cum illa sola cogitatione voluntas recte moueatur, & consequenter cogitationem futuram esse congruam. Alio modo potest cogitatio fieri congrua ex speciali fauore, & protectione Dei, vt si præuideret Deus voluntatem hominis relictam cum sola cogitatione bona nata excitari à talibus causis occurrentibus, non esse censuram, ac subinde talem cogitationem non esse futuram congruam, ideoque ipse prouideat modum, quo illa cogitatio efficacior fiat, vel interius specialiter excitando, vel rem aliquam præter communem cursum exterius applicando, & ita prior congruitas potest dici consequens, posterior vero etiam antecedens, bonum vsum liberi arbitrij.

Nos ergo supponimus, priorem modum cogitationis congruæ sufficere ad aliquod opus bonum morale, commune, & facile præstandum, & ideo dicimus, illam cogitationem congruam non recte vocari gratiam. Si igitur arguens putat similem cogitationem congruam sufficere ad vincendam grauentationem, vel ad amandum Deum super omnia, vel talem cogitationem posse esse continue congruam, ad naturalem legem totam seruandam, sine alio auxilio gratiæ Dei, non satis sentit de gratia ad hos effectus morales necessaria, & dum verbis confiteri videtur, gratiam esse necessariam ad hos effectus, re ipsa negat. Quia necessitas gratiæ in illis occasionebus est, vt suppleat defectum virium liberi arbitrij. At vero si cogitatio sit congrua priori tantum modo, non fit congrua per speciale auxilium gratuitum, sed per solum rationes et bonum vsum libertatis, hoc autem est absurdum, iam contra quia liberum arbitrium solis viribus suis cum generali influenza non potest semper, vel in illis occasionebus bene vti tali cogitatione, cuius contrarium obiectio supponit, & ideo dicit, posse Deum præuidere, tales cogitationes futuras esse congruas sine nouo auxilio gratuito, quæ præscientia plane supponit, arbitrium cum sola communi influenza bene esse vsurum tali cogitatione, non obstante obiecti, vel occasione

Aa 2

fionis

tionis arduitate. Hoc autem nos falsum esse censemus, & infra probabimus. Et ideo negamus sequentiam argumenti, quia non sunt æquales naturales vires voluntatis in ordine ad omnes actus liberos etiam naturales, & ideo neque idem modus cogitationis congruæ in omnibus sufficit.

Admissa duplici illo modo cogitationis congruæ, arguens aquitudo procedit. At vero si arguens admittat duos illos modos cogitationis congruæ, & equitocationem committit in probatione sequela; nam licet semper bona operatio procedat ex cogitatione congrua, tamen una præuidetur futura congrua sine aliquo speciali auxilio gratiæ, alia vero non item, & prior sufficit ad communia opera, posterior vero est necessaria in arduis, quia nisi Deus specialiter præpararet vocationem, & illam accommodet voluntati, in illis deficiet, & ita cogitatio mere naturalis semper esset incongrua, quæ omnia in sequentibus amplius declarabuntur.

CAPVT XV.

Antecogitatio congrua ad bene moraliter operandum, si vera, & supernaturalis gratia respectu hominis ad finem supernaturalem eleuati?

HACTENVS de pura, & integra natura dictum est, nunc de natura humana ad supernaturalem finem eleuata aliquid addere necesse est. Quia in illa specialis ratio versatur, eo quod moralis eius operatio, licet in se naturalis sit, ad supernaturalem finem ordinari, & utilis esse potest, & quantum est ex parte diuinæ voluntatis, ac prouidentia, propter illum finem tribuitur. Quoad hoc ergo in huiusmodi homine eleuato ad finem supernaturalem omnis bona operatio moralis aliquo modo supernaturalis est; ergo saltem hac ratione non poterit sine gratia fieri. Quæ ratio procedit in homine ad finem supernaturalem ordinato, in quocumque statu consideretur, id est, siue fingatur creatus sine villo dono intrinseco superante naturam, sed cum sola ordinatione ad supernaturalem finem ultra puram naturam, siue spectetur in natura integra sine supernaturali iustitia, siue cum gratia, & iustitia, siue in homine lapsio permanente in peccato, vel iam iustificato. In omnibus enim his statibus sola ordinatio actus moralis ad finem supernaturalem, facit illum aliquo modo supernaturalem, ac subinde gratia indigentem. In homine vero lapsio præter dictam rationem potest considerari alia contracta ex indignitate peccati, de qua in posteriori parte huius capitis dicemus, prius de sola ordinatione ad finem supernaturalem dicendum est.

Et pro resolutione aduerto, duobus modis posse ex relatione opus bonum morale esse ordinatum ad finem supernaturalem: vno modo ex relatione aliqua ipsius operantis; alio modo ex sola relatione, & intentione Dei. Ut actus sit ordinatus priori modo ad supernaturalem finem, non satis est, ut ipse homo operans sit à Deo creatus propter illum finem, sed necesse est, ut per aliquem priorem actum ipsiusmet hominis subsequens actus moralis, vel formaliter, vel saltem virtualiter in illius finem ordinetur. Quia actus ipse moralis per se, & natura sua spectatus non tendit in supernaturalem finem, sed ad summum in naturalem beatitudinem hominis, seu in Deum ut est author, & finis naturæ; ergo non potest in supernaturalem finem tendere, nisi vel ab aliquo extrinseco agente, vel saltem ab ipso operante per alium actum, vel virtutem eius in talem finem ordinetur; ergo si operans non habuit alium actum, quo talem moralem actum retulerit in supernaturalem finem, non potest dici in eum finem relatus, ut procedit à proximo operante, sed ad summum per denominationem ab intentione, seu ordinatione Dei.

Dico ergo primo, cum actus bonus moraliter ita sit ab homine ordinato ad finem supernaturalem, ut ab

ipso met homine in eundem finem referatur, tunc necessarium est auxilium gratiæ ad illum actum, ut spectatum sub illa relatione. Quia relatio illa aliquid est supernaturale, seu à forma supernaturali provenit, voluntas enim operandi propter supernaturalem finem supernaturalis est; ergo ad illam relationem necessaria est gratia. Hæc autem gratia non est sola cogitatio congrua naturalis necessaria ad tale opus morale, sed est auxilium supernaturale necessarium ad priorem actum, quo homo se, & actus suos et naturales in Deum finem supernaturalem refert. Sicut ad actum studendi, aut sciendi logicam propter Dei gloriam, necessaria est gratia, non tamen alia, quæ ad illam relationem postulat, nam opus ipsum, & tali relationi subternitur à natura esse potest, saltem ubi specialis difficultas non occurrit. Non procedit autem conclusio de actu morali, acquisito, ut talis est, quia non sumitur ut pure moralis, sed ut affectus circumstantia supernaturali, ad quam gratiæ auxilium postulat, & sic magis pertinet hæc assertio ad necessitatem gratiæ ad opera supernaturalia, de qua in sequenti libro dicturi sumus, quam ad necessitatem gratiæ ad opera moralia naturalia, ut talia sunt, de qua in præfati tractamus.

Dico ergo secundo. Ut opus morale studiose fiat ab homine ordinato ad finem supernaturalem, non ordinatè opus in illum finem, non est necessarium proprium auxilium gratiæ, nec vera gratia intrinseca, sed ad summum extrinseca prædestinatio, seu præordinatio extrinseca Dei, quæ potest dici extrinseca gratia, quatenus ad supernaturalem prouidentiam spectat. Probat prior pars, quia hoc opus non est melius, neque difficilius in homine ordinato ad finem supernaturalem, quam in non ordinato: ergo non requirit minores vires, ut fiat ab homine in illo statu, quam in isto, quia vires ad operandum solum postulantur propter excellentiam, vel perfectionem effectus: ergo sicut in vno statu non requiritur auxilium gratiæ ad tale opus in omni suo individuo, ita neque in alio, nam auxilium gratiæ solum est necessarium, ubi vires naturales non sufficiunt. Consequentia sunt claræ, & antecedens etiam videtur notum ex dictis. Quia licet homo sit conditus propter supernaturalem finem, opus morale non ordinatur ab ipso homine in eum finem, nec formaliter, nec virtute, ut supponitur, ergo ille finis personæ non est villo modo circumstantia operis: ergo nullam honestatem, vel difficultatem illi adiungit. Non est ergo ad illud necessarium auxilium gratiæ, & consequenter neque vera gratia interna, quia sufficit cogitatio honesta moralis, quæ non est gratia, etiam si sit congrua, ut in præcedenti capite declaratum est.

Dices: illa cogitatio congrua in tali homine ordinatur ad supernaturalem finem, & ex hac parte gratia dici debet. Respondeo in primis, fortasse non esse necessarium, ut talis cogitatio, vel opus ab illa procedens ordinetur etiam à Deo ipso ad finem supernaturalem, quia fieri potest, ut tale opus nullam utilitatem afferat operati ad supernaturalem finem, quæ nec est meritum eius etiam imperfectum, neque dispositio ad gratiam, & remota, ut infra dicemus. Et ideo fieri potest, ut etiam quatenus est à Deo, non proveniat ex intentione finis supernaturalis, sed tantum ex generali fine prouidentia naturalis, ut De' tanquam prima causa inferiores causas suos naturales motus tam liberos, quam necessarios agere sinat. Dices: semper talis actus affert aliquam utilitatem ad finem supernaturalem, quia saltem remouet impedimentum, tunc per aliquod peccatum addi posset. Respondeo hanc utilitatem communem esse actibus indifferentibus, & indeliberatis: imo & naturalibus, ut somnus etiam remouet pro tunc impedimentum noui peccati & tamen non propterea est necessaria gratia ad hæc omnia. Neque etiam est necesse, ut illa qualiscunque utilitas sit interita propter supernaturalem finem, sed tantum præuisa ex generali cursu naturæ, & ad-